



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Adnotationes || Et Meditationes || In Evangelia Qvae || In
Sacrosancto Mis-||sae Sacrificio || Toto Anno || Legvntvr;||**

Nadal, Gerónimo

Antuerpiæ, M. D. XCV.

Dominica III. post Epiphaniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78158](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78158)

DOMINICA TERTIA POST

EPIPHANIAM.

Mundatur Leprosus.

MATH. VIII. MAR. I. LVC. V. ANNO XXXI.

In xij. imaginem adnotatiuncula.

xij.
26.

- A. Thabor mons, ubi Christus Apostolos docuerat. D. Domuncula leprosi extra Capharnaum.
 B. Locus campestris ad montis radicem. E. Leprosus adorans Christum sanatur.
 C. Capharnaum, quo iter habebat IESVS. F. Leprosus Hierosolymam iussus proficiscitur.

EVANGELIUM MISSÆ.

MAR. I.

MATTH. VIII.

LVC. V.

Cum autē descendisset IESVS
 de^a monte, ^b secutæ sunt eum
 turbæ multæ.

Et factum est cum
 esset in^c una Ciuitatē,
 & ecce vir plenus le-
 pra, &^d videns I E-
 S V M. &^e procidens
 in faciem rogauit eū,

Et venit ad eum leprosus
 deprecans eum,
 & genu flexo dicit ei;

Et ecce^d Leprosus veniens
 • Adorabat eum, dicens;

Domine, si vis potes me mundare.

IESVS autem misertus eius
 extendit manum suam, &
 tangens eum ait illi;

Et^e extendens IESVS manum, te-
 tigit eum, dicens;
 Volo: mundare.

Et cum dixisset,
 statim discessit ab eo;

Et confestim • mundata est lepra
 eius.

Et comminatus est ei,
 statimque eiecit illum,
 & dicit ei;

Et ait illi IESVS;
 Vide nemini dixeris:
 sed^e vade,

Et ipse^e praecepit illi
 ut nemini diceret:

Principi Sacerdotum,
 & offer pro emundatione
 sua

Ostende te Sacerdoti,
 Et offer munus quod praecepit
 Moyses in testimonium illis.

ADNO-

A. Thabor mons in finibus Zabulon & Issachar, in Galilea scilicet inferiori, a Nazareth vi. aut vij. miliaribus ad orientem, ubi habuit sermonem IESVS ad duodecim Apostolos; Matth. v.

B. Locum campestris ad Thabor montis radicem: est enim Thabor situs in magno campo Galilee & dreilon, in quo descendens de monte cum Apostolis stetit IESVS, & eundem fere sermonem iterum ad turbam discipulorum, & copiosam plebem multitudinem.

C. Capharnaum, celebris eo tempore urbs in finibus Zabulon & Nephthalim, quinque miliaribus post maris Galilee initium, ad eius ripam ab occidente, quia iter habet IESVS cum de scendis de mare, & urbem docuisset in loco campestri.

D. Domuncula extra Capharnaum, habitaculum leprosi, unde videns IESVM venientem, ad eum processerat leprosus.

E. Leprosus primum genu flectit, deinde infaciem procidens adorat IESVM, & ait suppliciter; Domine, si vis potes me mundare. IESVS vero benigni simi extendit in eum manum, & dicit; Volo mundare. Describitur vero Leprosus incipiens mundari superiori corporis parte, ut intelligatur qui Leprosus fuerat fuisse mundatum. Circumstanti Christum Apostoli, discipuli, turba.

F. Discedens leprosus Hierosolimam ut Sacerdoti se ostenderet, & munus offerret quemadmodum iusserat Christus: narrat miraculum obui, quanquam Christus illi interdixerat.

Ut ad rem magnam & nouam, quasi repentinam & miram addunt; Ecce, duo Euangeliste; Ecce leprosus. Ad longè maiora quidem vsurpatur; Ecce: Ecce virgo concipiet; Ecce Magi ab Oriente venerunt; Ecce aperti sunt ei caeli: & ecce vox de caelis dicens &c. Ecce ego mitto Angelum meum; Ecce ascendimus Hierosolimam; Ecce ancilla Domini; Ecce euangelizo vobis gaudium magnum; Ecce positus est hic in ruinam; Ecce merces vestra multa est in caelis; Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi; Ecce filius tuus, ecce mater tua. Magna sunt haec omnia. Ecce, noua, quasi repentina & mira, magna continent mysteria. Sed suam etiam habet magnitudinem, suum mysterium Ecce hic nostri leprosi. Venit enim ad IESVM, traxit eum Pater aeternus, agnouit eius esse Filium IESVM, propinquum illi genu flectit, ante illum proicit se in faciem, ita illum orat, ita ab illo petit ut a Deo.

Chrisof. Nonne haec magna sunt, noua, inusitata, in spera-
ta? An non magna cognitio, quae tam difficulter, in 8. cap.
Matth. tam raro alijs contigit, non facile etiam Aposto-
lis? Ad haec nondum dixerat Apostolis; Quae-
Euth in-
cunque alligaueritis super terram, erunt ligata idem ca-
& in caelo: & quaecunque solueritis super terram, pnt.
erunt soluta & in caelo: non dixerat Petro; Tibi
dabo claves Regni caelorum: non illa verba quib-
us instituit Penitentiae Sacramentum; Quorum
remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum
retinueritis, retenta sunt: & iam per miraculum
leprosi designat Penitentiae Sacramentum, &
quasi primis lincis effigiat. Quor sum enim atti-
net homo plenus lepra, nisi ut hominem signifi-
cet peccati corruptione infectum? Quid veniens
ad IESVM, nisi quod ex cognitione peccati ve-
nit ad Medicum? Ad IESVM enim venit pec-
cator, ubi ad Sacerdotem venit confessurus sua
peccata. Quid verò est videns IESVM? non-
ne IESVM cognoscens, & eius misericordiam,
eius diuinitatis virtutem: in illum coniiciens om-
nem spem suam, illius amorem cordi imprimens?
Ex hac porro cognitione se se abiecit coram IESV,
illum adorat, illum ut auctorem bonorum om-
nium veneratur: quod non solum ex parte facit
genu flectens, sed toto animo, tota mente, tota vo-
luntate, omnibus viribus in terram se proiciens;
qui esse debet peccatoris in contritione sensus, ut
Deum reuereatur & amet, & illum se offendisse
agnoscens peccator, se toto pectore abiciat, ac
peccata depleat coram Deo & Christo eius. Nam
quod plenus lepra haec faciebat, id significat esse
sacerdoti manifestanda peccata omnia particu-
latim. Addit orationem, etiam si superiora iam
fuerunt orationes, dicens, id est corde & verbo
pronuncians; Domine mmi. Non enim aliam po-
tentiā appello, quam tuam voluntatem. Tua
potentia tua est voluntas; in tua voluntate est
omnis virtus & potentia Tu es enim vis infini-
ta Patris. Da tuae voluntati omnem gloriam. Ne
peto ut me mundes quia veni ad te, quia in te
sunt coniecti & confidentes oculi mei, non quia
genu flexi, non quod protegi me ad pedes tuos om-
ni ex parte supplex; quae omnia meam exprimunt
petitionem & meum animum, non quod te de-
precor, quod te rogem: sed ad tuam voluntatem
omnia confero, omnia illi subijcio, unde haec om-
nia valent quod valent, quod vis ut valeant:
vis autem per tuam passionem & mortem. Fac
igitur, munda me propter temetipsum Domine:

fac propter tuam voluntatem, illi sit totius meae salutis gloria. Similiter peccator mundari cupiens à lepra dicat: dicere quidem debet. Quid ad haec IESVS? misertus eius extendit manum suam, & tangens eum ait illi: Volo, mundare. Quae cum dixisset, statim discessit ab eo lepra. Mysteria eximia haec sunt, & mysteria similia in sacramento Penitentiae designant. Misericordiam leprosi primum Christus, & eius videt contritionem & orationem, & communicat illi suam misericordiam, applicat illi passionem suam, & suscipit in se eius peccata. Extendit videlicet in animam peccatoris vim suae passionis, qua illam tangit, hoc est animae eius gratiam suam infundit. Haec explicantur cum deinde dicit: volo. A mea voluntate tua sanitas & salus pender: hanc voluntatem tibi applico, vim videlicet infinitam, qua & tui sum misertus, & extendi ad te manum meam, & tetigi te. Esto igitur mundus à lepra tua, à peccatis tuis, quod significat sacramenti formam; Absolvo te à peccatis tuis. Subdi-

tur autem; Statim discessit ab eo lepra; quae efficacia est sacramenti, & operis operati. Ipso enim facto sacramenti dimittuntur peccata divina virtute. Haec sunt mysteria illius, Ecce: magnum plane Ecce.

Ceterum quod apud Marcum comminatur sanato leproso Christus, & illum eijcit, vim illam habet: precipiebat Christus leproso ne cuiquam diceret miraculum, sed prius ostenderet se Sacerdoti secundum legem, quam voluit omnino ab eo servari. Non enim soluebat leprosum lege quae erat de leprosis, nec volebat fieri libertatem à legis observatione discedendi, propter dona quae accipiebant qui sanabantur: nobis vero exemplum ponebat sapiens IESVS, & doctrinam tradebat, ne quo pacto ex donis à Deo acceptis in altum tolleremur, & ab Ecclesia obedientia discederemus: simul providebat, ut non necessariam occasionem ne daret Iudeis, unde offendi possent, praesertim ad initia Evangelicae praedicationis.

MEDITATIO.

S In lepra quidem creatus est Adā, sed nos omnes huius leprosi generamur, in peccato scilicet per illius peccatum. Peccati verò lepra etiam si baptismus sanet, relinquitur tamen in nobis alia lepra ex peccato profecta, & ad peccatum inclinans insolenter, concupiscentia. Leprosa est anima nostra, leprosa potentia, addimus nos continenter nostras operationum & habituum nostrorum lepras. Infelices, quis nos liberabit à corpore mortis huius & leprarum? Gratia Christi, similiter atque illum leprosum à sua lepra, modo similiter aspiciamus ad IESVM, eum adoremus, ge-

nua cordis ante ipsum flectamus, ante ipsum procidamus, similiter atque ille oremus, excelsò quodam sensu fidei & professione. Tua potentia IESV Christe est tua voluntas, utraque est infinita. Velis me mundare Domine, & fac ut ne ego impediam ne velis quod semper vis: & ecce mundor attractu tuae virtutis. Tange cor meum Domine, & non nocebit mihi concupiscentia, sed ad virtutem exercebit potius, & alia lepra sanabuntur omnes.

EADEM DOMINICA TERTIA
POST EPIPHANIAM.

Sanatur servus Centurionis.

MATTH. VIII. LVC. VII. ANNO XXXI.

In xij. imaginem adnotatiuncula.

xij.
27.

- A. Capernaum.
B. Seniores Iudeorum, quos primum miserat Centurio.
C. Hi, tum alij quos rursus miserat, orantes IESVM.

- D. Centurio ipse consequitur & orat IESVM.
E. Fidem eius IESVS miratur & laudat.
F. Domus puer Centurionis illo absente sanatur.
G. Revertuntur omnes domum.

EVAN.

MATTH. VIII.

LUC. VII.

*Cum autem impleisset omnia
verba sua in aures plebis*

Cum autem introisset ^a Capharnaum.

intrauit ^a Capharnaum.

*Centurionis autem cuiusdam
seruus malè habens erat mori-
turus, qui illi erat pretiosus.*

*Et cum audisset de IESU, misit ad eum ^b Seniores Iudeorum, rogans eum ut veni-
ret, & saluaret seruum eius. At illi cum venissent ad IESUM rogabant sollicitè,
dicientes ei: Quia dignus est ut hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & synago-
gam ipse edificauit nobis. IESUS autem ibat cum illis: & cum iam non longè esset
a domo, misit ad eum Centurio amicos, dicens: Domine noli vexari, non enim sum
dignus ut sub tectum meum intres: propter quod & meipsum non sum dignum ar-
bitratus, ut venirem ad te:*

Accessit ad eum ^d Centurio rogans eum,
& dicens: Domine, puer meus iacet in
^f domo paralyticus, & malè torquetur.
Erat illi IESUS: Ego veniam, & curabo
eum. Et respondens Centurio ait: Domi-
ne non sum dignus ut intres sub tectum
meum,

sed tantum dic verbo, & sanabitur puer *sed dic verbo,*
meus. Nam & ego homo sum sub pote-
state constitutus, habens sub me milites:
& dico huic, vade, & vadit: & alij, veni,
& venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.

Audiens autem IESUS ^e miratus est: *Quo audito IESUS
& conuersus
sequentibus se turbis*
& sequentibus se dixit:

^e Amen dico vobis,

non inueni tantam fidem in Israël.

*Nec in Israël tantam fidem
inueni.*

Dico autem vobis, quòd multi ab Orien-
te & Occidente venient, & recumbent
cum Abraham, & Isaac, & Iacob in re-
gno cælorum, filij autem regni ejicien-
tur in tenebras exteriores: ibi erit fletus
& stridor dentium. Et dixit IESUS Cen-
turioni: Vade, & sicut credidisti fiat tibi.
Et sanatus est puer in illa hora.

*Et reuersi qui missi fuerant
domum, inuenerunt seruum
qui languerat sanum.*

E 4

ADNO-

A. **C**apharnaum, de qua urbe superiori annota-
tione dictum est.

B. Seniores Iudeorum quos miserat Centurio,
Christum sollicitè rogantes ut veniret, & seruum
ipsius paralyticum sanaret. Venit IESVS cum
Senioribus versus Centurionis domum.

C. Seniores illi, cum alij amici quos denuò
miserat Centurio cum non longè ab eius domo
abesset IESVS, rogantes IESVM.

Chrysos. D. Postremo Centurio ipse anxio animo sub-
secutus est, & ad genua IESV pronoluitus expo-
nit aliud nihil, quam puerum suum paralyti-
cè torqueri.

E. IESVS verò, cum obtulisset se venturum
& sanaturum eum, & Centurionis audisset res-
ponsum, conuertitur ad urbem predicans Cen-
turionis fidem, & continuo famulum sanat ab-
sentem. Quod annotatur venisse ipsum Centu-
rionem non misisse tantum seniores deinde ami-
cos, pulchrè exponit Euthymius. Placet atque in-
ratio illa, ut si quando videantur non nihil E-
uangeliste discrepare, aut aliter narrare histo-
riam, eos spectemus, si simul utramque constare
possit: ut hoc loco, nihil est incommodi si utrum-
que asseramus, & per alios, & per se accessisse
Centurionem. Certè quod scribit Mattheus dixisse
se IESVM Centurioni: Vade, sicut credidisti
fiat tibi, aptius videtur illi conuenire pro sua
persona, quam senioribus vel amicis pro aliena.
Iam quod hic non usurpetur, Ecce, ut in munda-
tione leprosi, cum hic res item magna, noua, su-
bita, & mysterio plena enuncietur (Nam Cen-

turio hic gentes magna fide Euangelium recep-
turas aperit significat) facit admiratio Christi;
ad rem scilicet magnam, nouam, subitam, ad my-
sterium, facit Christi laudatio, qua fides gentium
crediduram antepositur Iudeorum fidei. Quod
enim, Ecce, maius dici potuit quam istud, Chri-
sti ore non dictum, sed re ipsa luculenter expo-
situm? Ceterum Christi admiratio illa vera erat,
ut verè profecit IESVS aetate, sapientia, & gra-
tia. Nam præterquam quod ipse perfectè nouer-
at omnia antequam fierent, nouerat simul que
suebant cognitione per sensus ex rebus ipsis ac-
cepta. Perfectè enim simul operabantur ipsius
sensus externi, interni, intellectus agens, item
possibilibus, & voluntas in perfectiora opera exi-
bat. Huiusmodi verò Christi operationum ratio
accipiebatur ex rerum quæ occurrebant exigen-
tia & ratione. Hoc verò loco res admirationem
exigebat: quare Christus verè admiratus est,
etiam si alias non admirabatur: ornabatur enim a-
nima Christi varietate excellentium operatio-
num præclarissima.

F. Domus & cubile ubi iacebat paralyticus,
unde ad verbum Christi surgit incolumis: rei
miraculo stupent domestici.

G. Serui Centurionis, quos verisimile est mis-
sos ut renunciarent hero sanitatem pueri, ad
Centurionem veniant: deinde Centurio, &
quos miserat omnes domum reuer-
tuntur, & inueniunt seruum
qui languerat sa-
num.

MEDITATIO.

Non sumus solum leprosi & peccato, sed
paralytici etiam sancte IESVS: paralyti-
cum est liberum arbitrium nostrum sine te &
attenuatum. Videmus, agnoscimus, deplora-
mus. Sana illud Domine gratia & virtute tua.
Ecce per sanctos tuos oramus, rursus opera
pia ad te mittimus, animaduertimus per hæc
te moueri, & ad nos venire: en occurrimus
tuæ benignitati, oramus ipsi pro nobis. No-
stræ potentie bone IESVS, in hoc corporis
carcere iacent paralytice, nihil te dignum, at-
que adeo omnia contra quam debent operā-

tur. Reliqua etiam si taceamus tu scis, & quid
tacentes clamemus audis & vides: omnia po-
tes, infinite bonus & benignus es. Suauissimè
respondebit nobis IESVS: Veniam in ani-
mam vestram, illam ego sanabo præsens. Hic
sensus spiritualis, & gratia excitata humilitate
facit, ut vis diuina nostris potentiis ingeneretur,
sanet potentias nostras Christus, ornet
nostram fidem, nostras virtutes, no-
stras operationes acceptas
habeat sua benigni-
tate infinita.

DOMI-